MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80342-1

MICROFILMED 1992

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR: BRAXATOR, RUDOLF FRANZ

TITLE: QUID IN CONSCRIBENDO ....

PLACE: HALIS

DATE: [1871]

Master Negative #

91-80342-1

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

6100
D761

Braxator, Rudolf Franz, 1845-
Quid in conscribendo Ciceronis Laelio valuerint Aristotelis Ethicon Nicomachorum De amicitia libri. Dissertatio inauguralis quam ... publice defendet Rudolphus Franciscus Braxator ...
Halis, typis expressum Lipkianis, [1871].
30 p. 20½ cm.

Thesis. Halle. 1871.

Volume of pamphlets

52784

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9-12-92 INITIALS M.D.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

BIBLIOGRAPHIC IRREGULARITIES

MAIN ENTRY: Braxator, Rodolj Franz

Bibliographic Irregularities in the Original Document

List volumes and pages affected; include name of institution if filming borrowed text.

_____Page(s) missing/not available:_____

_____Volumes(s) missing/not available:_____

_____Illegible and/or damaged page(s):_____

_____Page(s) or volumes(s) misnumbered:_____

_____Bound out of sequence:_____

_____Page(s) or illustration(s) filmed from copy borrowed from: Princeton University
Entive Dissertation

_____Other:_____

FILMED IN WHOLE
OR PART FROM A
COPY BORROWED
FROM PRINCETON
UNIVERSITY


AIIM
Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202
Centimeter
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm
Inches
1 2 3 4 5
MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Columbia University
in the City of New York

LIBRARY

8100
D261

2837
#.597

QUID IN CONSCRIBENDO CICERONIS LAELIO VALUERINT ARISTOTELIS ETHICON NICOMACHORUM DE AMICITIA LIBRI.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

UNA CUM SENTENTUS ALIQUOT CONTROVERSIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

IN LITTERARUM UNIVERSITATE HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

DIE XIV. M. FEBRUARII A. MDCCCLXXI.

HORA XI

IN AULA ACADEMIA

PUBLICE DEFENDET

RUDOLPHUS FRANCISCUS BRAXATOR
SILESIUS.

CONTRA ADVERSARIOS

IUL. RITSCHL, STUD. IUR.
FRID. PALMIÉ, STUD. THEOL.

HALIS,
TYPIS EXPRESSUM LIPKIANIS.

2837
.597

PATRI CARISSIMO

FAUTORIBUSQUE BENEVOLENTISSIMIS

137752

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VOLUIT

AUCTOR.

Libros M. Tullii Ciceronis nos perlustrantes effugere non potest, illum in componendis suis, quae ad philosophiam pertinent scriptis non semper suo ipsius iudicio usum sed diligenter Graecorum vestigia secutum esse recteque eos iudicare putamus, qui eum non philosophum sed interpretem antiquae philosophiae appellant. Neque Cicero ipse se a Graecis pependisse negat, quum de sententiis, quas in libris philosophiam tractantibus affert, diserte dicit [1]) „ἀπόγραφα sunt; minore labore fiunt; verba tantum affero, quibus abundo;“ qua de causa permultis locis nomina quoque affert eorum philosophorum, quorum sententiam in usum suum converterat. Quibus philosophis a nonnullis Aristoteles quoque adnumeratur eiusque nomen Cicero, ut luribus locis, sic, ut exemplo utamur, in libro „de finibus“ inscripto [2]) laudat seque eius vestigia sectari profitetur.

Etsi nemo est, qui perlectis eis, quae philosophiam tractant Ciceronis scriptis neget, illum Aristotelis ceterorumque Peripateticorum sententias vel systemata optime cognovisse, quum Ciceronem et multis aliis ex locis et ex quarto capite libri „de finibus“ praecipue Peripateticorum sententias secutum esse appareat, tamen iam dudum et usque ad nostra tempora doctissimos viros inter se dissentire scimus in hac quaestione, utrum Ci-

1) Cicero, ad Attic. XII., 2.
2) Cic. de fin. cap. 5., 5., §. 12.

cero ipsius Aristotelis libros usu cognitos habuerit eumque hac ex causa secutus sit, an ex ceterorum tantum Peripateticorum scriptis Aristotelis sententias cognoverit. Itaque non est mirandum, quod permulti viri docti recentioris aevi de hac re disputationem adhibuerint, quorum nonnulli ut Stahrius,[1]) Gernhardius,[2]) Baumhauerius[3]) Jentschius[4]) subtiliter rebus disquisitis refutatisque contrariis sententiis demonstraverunt, ex permultis Ciceronis scriptis evidenter posse intelligi, illum non solum ceterorum Peripateticorum, sed etiam ipsius Aristotelis libros perlegisse vel cognovisse.

Ille autem Ciceronis liber, qui inscriptus est „Laelius sive de amicitia" teste Ueberwegio[5]) non solum ex illo, quo de eadem re tractatur Theophrasti libro pendere sed etiam in „ethicis" Chrysippi atque in Arithotelis Ethicon libris positus esse videtur. Itaque necesse est, si Stahrio ceterisque, quos antea nominavimus habemus fidem, apparere hoc libro, Ciceronem quum alios Ethicon libros, tum Ethica Nicomachea, quae quidem praecipue Aristotelis nominanda esse iam Spengelius[6]) docuit, perlegisse nonnullasque ex iis expetitas sententias in usum suum convertisse. Nam his in Ethicis, in libro octavo nonoque, (quibus Ethicon Eudemiorum lib. VII. 11 — 12 vel 13; Magnorum moralium lib. II. 11 — 17 respondent[7]) Aristoteles quoque de amicitia praeclare disserit. Itaque si demonstrare poterimus, complures in illa Ciceronis

1) Ad Stahr, Aristotelia, II. vol., Halae 1830.
2) Cic. Laelius, edit. Gernhardii, cum Prolegg. Vimariae 1832.
3) Baumhauer, de Aristotelea vi in Ciceronis scriptis. Ultraj 1841.
4) Hugo Jentsch, quid ex arte rhetorica Aristotelis habeat Cicero quaeritur: dissert. inaug. Berolin 1866.
5) Ueberweg, Gesch. d. Phil. B. I., pag. 222.
6) Spengel, Aristotelische Studien.
7) Ueberweg, a. a. O. Bd. I., pag. 148.

disputatione eosdemque *graves locos* mirum in modum vel in iis, quae ad philosophandi sententiam pertinent, vel in dicendi genere congruere cum iis, quae in Ethicon Nicomacheorum libris Aristoteles affert sententiis, tum demum iure quodam nobis videbitur, et Ciceronem illos ipsos Ethicon libros perlegisse eosque ad componendum Laelium haud parum valuisse. Qua re demonstrata cum Stahrio et Gernhardio,[1]) consentiemus quorum prior[2]) „luce clarius" esse dicit atque ex Laelio evidenter apparere, Ciceronem illos duos Aristotelis libros diligentissime perlegisse. Etiamsi autem hoc Stahrii dictum, ut Ciceronis verbo utamur, non „ad vivum resecemus," tamen, si Ciceronianam disputationem cum illis Aristotelis libris comparamus, dubitare non possumus, quin Cicero multis in sententiis et in dicendi modo Aristotelis vestigia secutus sit.

Priusquam autem ad demonstrandam hanc sententiam itaque ad rem propositam accedimus, opus est, ut brevi explicemus, qua de causa nos illi Stahrii dicto, quod paullo supra commemoravimus, quum in re ipsa cum illo consentiamus, omnino annuere non posse dixerimus.

Ciceronis de amicitia dialogum si attente perlegimus, iam summis labris degustantes intelligimus, huic disputationi longe aliam, quam illis Aristotelis libris speciem esse impositam. In hoc enim sermone, ut in nonnullis aliis, qui ad morum disciplinam pertinent, Cicero, ut diserte annotat Gernhardius[3]) „familiaris sermonis consuetudinem imitatur, vultque videri ea tantum expromere, quae rei subito propositae cogitatio atque usus suppeditavit. Ita fit, ut omnis haec Ciceronis disputatio

1) Gernhard. Prolegg. ad Laelium p. L., LI aliisque locis ad Lael. annotatis. Cfr. Prolusio, qua recognoscuntur ea, quae Cicero in Laelio de amicitia disputavit. disp. schol. Vim 1823.
2) Aristotelia, Bd. II., pag. 157.
3) Gernhard, a. a. O. p. 14., opuscula, pag. 325.

faciliorem ac liberiorem formam referat habeatque quandam rei non cumulate perfectae et absolutae excusationem.“ Quacum si Stagiritae libros comparamus, eximiam eius esse in disserendo explicationem nemo est qui neget, quum Aristoteles temperato genere dicendi, quod ad tractandas disciplinas aptissimum est, rem sibi propositam subtiliter persecutus ex omnibus partibus pertentet atque exquirat. Itaque non miradum est, quod has quoque sententias quas hausisse Ciceronem ex Aristotele patet, ornatius politiusque dictas quam in Ethicon libris in Laelio reperias. Nam perspicuum est, Ciceronem, quem paullulum ambitiosum fuisse accepimus, si hoc vel illud Aristotelis dictum in usum suum convertere voluerit, qua erat facultate dicendi, certe in afferendo illo dicto longe aliis quam Aristotelem verbis usum esse, nisi ex alia, tamen hac ex causa, ne de amicitia, quae esset res et omnibus necessaria et cognita, ex alius philosophi scriptis quicquam hausisse videretur. Huc accedit, quod ex ipsa rei natura sequitur, quum duo vel plures homines de eadem re quaestionem vel disputationem adhibeant, ut, etiamsi neuter alterius sententias vel opiniones audiverit aut perlegerit, tamen nonnullis in verbis congruant necesse sit. Omnibus his quae attulimus de causis perspici potest haud facile esse, ut in conscribendo Laelio Aristotelcos libros valuisse demonstremus itaque patet, qua de causa non audeamus cum Stahrio dicere, hoc „luce clarius“ in Ciceroniana disputatione apparere.

Ab hac brevi declinatione ut ad rem ipsam propositam nos convertamus, primum exquiramus, quaenam in Ciceronis Laelio amicitiae definitiones inveniri possint.

Quatuor amicitiae definitiones in Ciceronis sermone positas videmus, quarum primam cap. IV. §. 15., alteram cap. IV., init., tertiam cap. VII. §. 23, quartam cap. XVII. §. 61. invenimus. Quae autem definitiones, si eas comparamus alia magis alia inter se, ut videtur, differunt amicitiae notionem modo artiore modo latiore sensu continentes. Quarum definitionum secunda, in init. cap. VI. posita certe artissima est, ubi Cicero amicitiam „omnium divinarum humanarumque rerum cum bene volentia et caritate consensionem“ dicit. Ab hac amicitiae definitione, qua Cicero bonis viris summam amicitiae ostendit, probe distinguenda est definitia quarta, quam cap. XVII. init. constituit, „ut quum emendati mores amicorum sint, tum sit inter eos omnium rerum, consiliorum, voluntatum sine ulla exceptione communitas.“

Qua in defintione, quod Cicero benevolentiae caritatisque notam praetermittit neque, ut Gernhardius bene annotat ad hunc locum „consensionis,“ ut in secunda sed „communitatis“ vocabulo usus est, amicitiae latiorem notionem esse impositam facile cognoscimus. Similis autem huic definitioni, sed magis ad vitae usum et consuetudinem pertinens [1]) illa est, quam antea primam nominavimus, cap. IV. §. 15, ubi Cicero omnem vim amicitiae „in voluntatum, studiorum, sententarum summa consensione positam esse“ dicit. Tertia autem latissime patens atque contractior amicitiae definitio invenitur in cap. VII. §. 27, „benevolentiae coniunctio,“ cui respondent verba cap. V. §. 22, „mutua (amici) benevolentia.“ —

Iam in his quatuor variis definitionibus Aristoteleam vim cognoscere putamus. Quam ut intelligamus, quaerendum nobis est, quaenam Stoicorum de amicitia fuerit sententia, nam Ciceronem in eis, quae ad morum disciplinam pertinent ad Stoicos propensissimum fuisse scimus. [2]) Quum apud Diogenem

1) Cfr. Lael. cap. XXII., 103 ss.

2) Ritter u. Preller, hist. philos. Graec. Roman. ex fontium locis contesta, ed. III. Gotha pag. 464, nota ad a.

Laertium [1]) eorum decretum: „*τὴν φιλίαν ἐν μόνοις τοῖς σπουδαίοις εἶναι διὰ τὸν ὁμοιότητα*“ invenimus, tum ex ipsius Ciceronis Laelio (cap. V. §. 18.) eos dicere apparet, „nisi in sapientibus amicitiam esse non posse“ neque „quemquam esse virum bonum, nisi sapientem.“ Itaque virum tantum sapienta et virtute perfectissimum unice amicum esse posse pronuntiabant ceterosque, etsi amicorum nomine insignarentur, „nihil esse, nisi socios.“ [2]) Quibus autem Stoicorum decretis Cicero quod sibi nimis subtilia et citra rationem communis autilitatis exposita viderentur, annuere non est ausus. Nam ut praeclare explicat Zellerius:[3]) „Ein Weltmann, wie Cicero, kann sich nicht verbergen, dass die stoischen Anforderungen für die Menschen, so wie sie einmal sind, viel zu hoch sind, dass der stoische Weise in der Wirklichkeit nicht gefunden wird . . . etc. etc. Itaque in libro „de amicitia“ Ciceronem videmus stoicos desercre et in sententiis suis ad veterem Academiam Peripateticosque, qui „molliores ei ab hac parte esse videbantur“ [4]) propensiorem eum fieri cernimus, quum non solum unam sed complures amicitiae definitiones instituerit insque notione eodem usus sit sensu, quo plurimi homines ea uti solcant.

Sin autem eas, quas Aristoteles in Ethicon Nicomacheorum octavo nonoque libro posuerit amicitiae definitiones exquirimus, eum iam hac in re cum Cicerone consentire invenimus, quod amicitiae notionem aliter latiore sensu, aliter arctiore constituerit. Nam in lib. VIII. cap. I. init. amicitiam „virtutem

---

Vgl. Ueberweg. Geschichte der Philosophie, §. 61, pag. 219.
„ Erdmann, Gesch. d. Philos. §. 106. S. 175.
„ Zeller, Gesch. d. Philos. III. 1., 2. Aufl. pag. 588.
1) Diogen. Laert. VII., 124.
2) Seneca, de benef. VII. 12; ep. 81.
3) Zeller, Gesch. d. Phil. Bd. III., 2. Aufl. pag. 588 — 589.
4) Ritter u. Preller, a. a. O. §. 464. S. 482. — — —

quandam aut cum virtute coniunctam, in lib. VIII. cap. VII. 1157, b. „amicitiam bonorum maxime amicitiam,“ in eiusdem libri cap. X. 1159. b, eam „aequalitatem et similitudinem“ in lib. VIII. cap. II. b. 35, „bene volentiam in iis, qui inter se par pare referunt“ dicit, in lib. VIII. cap. IX., init. „in omni societate aliquod ius et vero amicitiam aliquam reperiri“ contendit.[1]) Sed opus erat et Aristoteli et Cicerone complures definitiones amicitiae constituere, quum uterque intelligi voluerit, non unum sed complura esse amicitiae genera.

Ciceronem autem tria potissimum amicitiae genera distinguere perspicue docet locus qui legitur cap. VI. fin. „neque ego de vulgari“ — (pum cap. XXI. §. 77 „communem,“ cap. XXVI. fin. „levem“ appellat,) „aut de mediocri, sed de vera et perfecta amicitia loquor.“ Huic autem verae et perfectae amicitiae generi omnium definitionum ea maxime convenire videtur, quam legimus initio cap. VI. „omnium divinarum humanarumque rerum cum benevolentia et caritate consensio.“ At quum certe boni tantum homines, non, ut putant Stoici, soli sapientes in omnibus rebus divinis (*δαιμόνια*, quae ad deos pertinent [2]) et in omnibus rebus humanis (*τὰ ἀνθρώπινα*, quae dialectica tractabant et doctrina de moribus,) consentire possint *cum benevolentia et caritate* neque in aliis nisi in bonis perfecta et vera amicitia esse possit, apparet, hanc definitionem pertinere ad amicitiam bonorum vel eorum, quorum virtus omnibus partibus explorata est et inter quos, quia similes sunt *„necessaria constat benevolentia.“*[3]) Hoc autem perfectae et

---

1) Aristotelis verborum versio latina Lambini est, paucis tantum ocis mutata. Locos graviores et longiores, qui ad verbum afferuntur, citationis signo („ “) distinximus.

2) Ernesti, clav. Ciceron. sub voce „divinus.“

3) Lael., cap. 14. §. 50.

verae amicitiae genus idem est, quod Aristoteles in Ethicon Nicomacheorum libris dicit causam amandi habere in honestate vel virtute. Nam Aristoteles quoque, ut Cicero, licet casu quodam, triplex distinguit amicitiae genus,[1]) quum tres possint esse amandi causae in utilitate (*διὰ τὸ χρήσιμον*) aut voluptate (*δι' ἡδονήν*) aut honestate vel virtute (*δι' ἀρετήν*). Quod tertium genus, „quia in ea insunt per se, quae utilia et amabilia sunt“[2]) optimum est. Hoc autem continet bonorum amicitiam ut docet locus, qui legitur init. cap. VI. b. lib. VIII. „mali quidem propter voluptatem aut utilitatem inter se erunt amici, boni autem propter se amici *futuri sunt, qua enim boni sunt.*

Quorum amicitiam, ut Cicero „perfectam amicitiam“[3]) appellat, sic Aristoteles iisdem utitur verbis[4]) et alio loco[5]) eam maxime esse amicitiam declarat neque oblitus est dicere, amorem vel caritatem (*φιλησις*) in vera amicitia inesse debere[6]) eodem sensu, quo Cicero caritatis benevolentiaeque nomina quasi tenerioris imaginis lineamenta illi verae et perfectae amicitiae definitioni addiderat.[7]) Itaque Ciceronem iam in hoc amicitiae genere cum Aristotele consentire videmus, ad quod permultis in Laelio locis redit. Quin etiam hanc Ciceronis cum Aristotele consensionem ne Zellius quidem negat qui „eodem redire Ciceronis universam in Laelio disputationem concedit[8]) sed in hac re nullum *certum* vestigium inveniri posse dicit, „ut Cicero Aristoteleam de eadem re disputationem in usum

1) Eth. Nicom. l. VIII., cap. 3.
2) Ibid. l. VIII., cap. 4, 1156, b. 10.
3) Lael., cap. VI. fin.
4) Eth. Nicom. l. VIII., cap. 4. b. 8.
5) ibid. l. VIII. cap. 10., 1159 b.
6) Eth. Nicom. lib. IX. cap. 10, 1171.
7) Lael., cap. 6., init.
8) Carol. Zell, ad Eth. Nicom. l. VIII., cap. 4, §. 2.

suum converterit.“ Sane huic Zellii iudicio annumeremus, nisi in nonnullis aliis Laelii locis plura eaque graviora vestigia invenissemus. Sed iam si illam latissime patentem et arctiorem amicitiae definitionem, qua Cicero eam „benevolentiae coniunctionem“ appellat, respexeris, non negabis, Aristotelis libros permultum in componendo Laelio valuisse. Cicero enim hac in definitione nihil aliud dicit, quam quod iam Aristotelem laudasse invenimus, qui amicitiam „benevolentiam esse dicit in iis, „qui inter se par pari referunt, nisi forte addendum est non occultam neque incognitam.“[1]) Nam benevolentiae coniunctio tum demum nascitur, si duo vel plures homines benevolentia coniunguntur ita, ut alter alterum sibi favere sciat itaque idem significat quod *mutua benevolentia* eaque latiore sensu amicitia potest appellari. Quid? quod etiam hoc vocabulum in Aristotelis libris[2]) et in Ciceronis disputatione[3]) nonnullis locis invenire possumus. Quae benevolentia vel amatio, ut Aristoteles dicit[4]) in quopue genere amicitiae inest eamque Cicero[5]) inter bonos „quasi necassarium“ constare contendit.

Neque Ciceroni incognita erant illa Aristotelis genera amicitiae, quae in voluptate aut utilitate haberent causam amandi, sed eas amicitias vulgaribus, communibus, levibus amicitiis adnumerat. Haec autem propter erumpentia vitia non erant definiendae sed castigandae monendumque ut dissuerentur.[6]) Nam his in levibus amicitiis nascitur odium,[7]) na-

1) Eth. Nicom. lib. VIII., cap. 2 b. 35.
2) ibid. lib. VIII., cap. 2. 1156.
3) Lael. cap. 6. §. 22.
4) Eth. Nicom. lib. VIII., cap. 3. 1156.
5) Lael., cap. 14. §. 50.
6) Cfr. Gernhard, Prolegg. p. 49. ss. in notis.
7) Lael. cap. 24., §. 89.

scuntur adulatio, blandita, assentatio.[1]) Quarum amicitiarum exemplum Cicero, ut iam Aristoteles affert amicitias *tyrannorum*, quorum in vita *„nullus locus est amicitiae“* (cap. 15, §. 58.) atque in afferendo hoc exemplo iisdem verbis quibus Aristoteles utitur, qui *„in tyrannide* nihil aut parum loci amicitiae relictum esse“ dicit,[2]) eodemque sensu, quo Aristoteles assentatorem „amicum *inferiorem*“ appellat,[3]) Cicero in describendis *levibus* amicitiis assentatoris quoque non est oblitus.[4])

Ad tertium autem amicitiae genus, quod medium tenet inter amicitias perfectas et leves eaque de causa mediocris amicitiae genus appellatum est, pertinere videtur illa in initio cap. XVII. posita definitio: „ut, quum emendati mores amicorum sint, tum sit inter eos omnium rerum, consiliorum, voluntatum sine ulla exceptione communitas.“ Etsi hoc loco Cicero mediocritatis vocabulo non est usus, tamen hanc definitionem mediocris amicitae esse apparet. Nam eorum, qui emendati sunt virtus nondum omnibus partibus est explorata; itaque, quum non sint perfecte boni, eorum amicitia quoque non perfecta sed mediocris tantum esse potest. Sane illud discrimen, quod inter perfectam et mediocrem amicitiam esse dicit Cicero, non satis est declaratum nec facile poterant discriminis fines accurate constitui, nisi viros bonos in nullo periculo esse vellet intelligi. Qua de causa utrumque genus amicitiae distinxit conditione, quae in definitione inest: „quum emendati mores amicorum sint, tum“ ——— etc. Etsi credere possis, Ciceronem hac definitione novum amicitiae genus instituisse, tamen, si praecepta perlegeris, quae eis, qui, etiamsi moribus emendati essent, tamen cavere teberent, ne quid

1) Ibid. c. 25., §. 91.
2) Eth. Nicom. lib. VIII., cap. 13. 1161. a. 30.
3) Ibid. lib. VIII., cap. IX. 1159. 10 a.
4) Lael., cap. 26., §. 98 — 99.

in sese admitterent vitii, danda putavit,[1]) apparebit, has mediores amacitias haud multum diversas esse ab illo amicitiae genere Aristotelis, quod id expedit, quod vel iucundum vel utile sit. Nam his medioribus amicitiis adnumerat Cicero puerorum quoque amicitias[2]) eorumque, qui eiusdem rei sunt studiosi,[3]) recte quidem, nam hoc tempore vel hac in vitae conditione inter eos „omnium rerum, consiliorum, voluntatum sine ulla exceptione est communitas“ itemque inter eos, qui, republica in complures factiones scissa, eandem causum sequuntur.[4]) Sin autem requirimus in his amicitiis amandi causum, alias voluptatis, alias utilitatis causa iunctas reperimus. Quin etiam populum Romanum scimus saepissime appellasse eos reges vel principes finitimarum civitatum amicos, quibuscum foedus erat ictum. Quae autem civitatum societates, latiore sensu amicitiae appellatae, ut explicat Aristoteles[5]) causam amandi habent in utilitate. Neque minus ipsum „necessarii“ nomen, quod in Ciceronis Laelio invenimus,[6]) significare videtur, *utilitatem* esse diligendi causam, itaque non mireris, quod non solum Ciceronis temporibus nonnulli[7]) sed etiam nostro in saeculo inveniantur, qui amicitiam magis ab inopia atque indigentia quam ab amore ortam esse putent. Quorum, ut exemplum afferamus, vir Illustrissimus de Gagern[8]) ad confirmandam hanc sententiam commemorat Ciceronis locum, ubi amici „optima et pulcherrima“ appellantur „vitae suppellex“[9]) eun-

1) Lael. ab. cap. X., usque ad cap. XI.
2) Ibid. cap. 10. §. 33. —
3) Lael. cap. 20. §. 74.
4) Ibid. cap. 9. §. 37.
5) Eth. Nicom. lib. VIII. cap. 5. 1157. 20.
6) Lael. cap. 20. §. 74.
7) Ofr. Lael. cap. 9. §. 29; cap. 13, §. 46.
8) v. Gagern, die Resultate der Sittengeschichte, Wien 1820, p. 60.
9) Lael. cap. 15, §. 55.

demque locum comparat glossae in Thesauro Francogallico, qui inscribitur „dictionaire de l'academie," ubi haec: „un nécessaire en bois d'acajou-en vermeil!" — Certe haec, quae modo attulimus amicitiae nomina vel apposita alium eius ortum, quem Cicero vult intelligi, significant, itaque eum, etsi in definitionibus et constituendis amicitiae generibus longe sliis, quam Aristoteles verbis est usus, tamen in re ipsa cum illo congruere putamus.

Praeterea, si in Ciceronis disputatione exquirimus, unde ortam esse putet amicitiam, in eo praecipue cum Aristotele consentire videtur, ut *„a natura eam esse ortem"* dicat, quod „amor, qui princeps sit," id est primus ducat „ad benevolentiam coniungendam" quum iam *„in bestiis quibusdam"* tum in *„homine* multo evidentius animadverti possit ex ea caritate, quae sit *inter natos et parentes."*[1]) Qui enim locus eodem spectat, quo hic Aristotelis, qui „sane in eo, quod procreavit in id quod procreatum est inesse amicitia *naturae"* dicit, „neque id solum in *hominibus*, verum etiam in avibus et pluribus *animalibus*."[2]) Itaque non errare putamus, si pronuntiare audemus, hunc quoque Aristoteleum locum a Cicerone in usum suum esse conversum. —

Evidentius autem haec dictorum vel sententiarum consensio, quae inter nonnullos Ciceronis Aristotelisque locos interest, nobis elucet ea perlegentibus, quae uterque laudat, amicitiam maxime necessariam esse docturus. Aristotelem in lib. IX., cap. 11. Ethicon Nicomacheorum longius praeclareque

1) Cfr. Lael. cap. VIII., §. 26. n. 27.
2) Eth. Nicom. l. VIII., cap. 1, 1155 a. 5.

disseruisse legimus, ut demonstret (quod iam antea commemoraverat[1]) in omnibus vitae conditionibus, in rebus adversis et secundis amicitiam et maxime necessariam esse et iucundissimam. Quam sententiam, ut ex rei natura sequitur, Cicero quoque affert, sed admirandum est, quam polite atque eleganter, ut iam multis ex aliis Laelii locis elucet, Cicero rem omnibus notam explicare atque exornare possit. Nam ad demonstrandam magnam amicitiae necessitudinem Cicero, ne verbis usitatis atque tritis uti deberet, hanc sententiam vestivit et ornavit verbis, quae iam proverbii locum obtinebant quaeque iam apud Plutarchum leguntur, ubi hic:[2]) *„(ὅτι δὲ ἡ χρεία τῇ φιλίᾳ παρέπεται) καθὸ δὴ καὶ λέγεται πυρὸς καὶ ὕδατος ὁ φίλος ἀναγκαιότερος εἶναι;"* quae verba Cicero: „itaque non igni, ut aiunt, pluribus locis utimur, quam amicitia;" his autem addit: „nam et secundas res splendidiores facit et adversas partiens leviores."[3]) His verbis Cicero idem dicit, quod Aristoteles in cap. 11. libri noni accuratius explicat, „amicitiam in rebus secundis pulchriorem, in rebus adversis magis necessariam esse"[4]) finiensque his comprehendit: „praesentiam igitur amicorum in omnibus rebus esse optabilem, perspicuum est." Ut autem demonstretur, amicitiam non solum necessariam sed etiam iucundissimam esse, Cicero commemorat vocem Ennianam, exclamans: „qui potest esse *vita vitalis*, quae non in amici mutua benevolentia conquiescat?"[5]) Sed vita „vitalis" non esse potest idem significat, quod vita *nulla esse* potest, ut docet alius

1) Eth. Nicom. l. VIII. cap.. 1., 1155 a 3.
2) Plutareh, de discrim. adul. et amic. cap. 5.
3) Lael., cap. 6. §. 22. fin.
4) Eth. Nicom. lib. IX., cap. 11.
5) Lael., cap. 6. §. 23.

Ciceronis in Laelio locus,[1]) ubi Cicero his ipsis utitur verbis. Quod dictum autem nihil aliud indicat, quam hoc Aristotelis: „nemo . . . . est, qui sine amicis *vitam sibi optabilem* esse ducat."[2]) Ciceronem autem hunc ipsum locum in usum suum convertisse cuique appareat necesse est, qui haec Aristotelis verba eaque non sermone latino interpretata, sed graeca comparaverit cum Laelii loco, qui legitur in cap. XV. §. 52 ubi Cicero „quis est" pronuntiat, „qui velit, ut neque deligat quemquam nec ipse ab ullo diligatur" — (quibus pluribus verbis explicat Cicero Aristotelis „ἄνευ φίλων") „circumfluere omnibus copiis atque in omnium rerum abundantia vivere?" *(ζῆν ἔχων τὰ λοιπὰ ἀγαθὰ πάντα οὐδεὶς ἂν ἕλοιτο.")* Nihil enim interest inter utrumque locum, nisi hoc, ut Cicero his verbis ad interrogandum, iisque Aristoteles ad confirmandam sententiam usus sit. Itaque, quum in aliis, tum praecipue hoc in loco certum vestigium invenisse credimus, Ciceronem ex Aristotelea de amicitia disputatione nonnulla hausisse neque Victorius, si hos quos modo laudavimus locos inter se comparasset, contendere auderet, Ciceronem in lectione librorum Aristotelis non valde versatum fuisse.[3])

Neglectis porro eis locis, quibus Cicero, ut par est, cum Aristotele consentit, quum, ut afferamus exemplum, in commemorandis amicitiae notis „veram amicitiam sempiternam" dicit,[4]) amicitiamque (mediocrem vel vulgarem) „raro ad extremum diem vitae permanere" pronuntiat,[5]) quia mores saepe mutan-

1) Ibid. cap. 27., §. 86.
2) Eth. Nicom. lib. VIII., cap. 1. 1155. a. 15.
3) Victorius ad Eth. Nicom., lib. VIII. cap. 3.
4) Laelius, cap. 9, §. 32. fin. — Vgl. Eth. Nicom. VIII., c. 4. b. 14.
5) Lael. cap. 10., §. 33. init. — Vgl. Eth. Nicom. lib. VIII. c. 3. 1156 25.

tur . . . . . aetate ingravescente,[1]) tamen commemoranda est illa verae amicitiae nota, ubi Cicero viri boni esse dicit „in amicitia,[2]) „non solum ab aliquo *allatas criminationes repellere,* sed ne *ipsum quidem esse suspiciosum.*" Nam quod haec verba indicant, iam apud Aristotelem significatum invenimus, qui *„solam bonorum amicitiam criminationibus vacare"* pronuntiat.[3]) Quamquam hoc Aristotelis: *μόνη δὲ ἡ τῶν ἀγαθῶν φιλία ἀδιάβλητός ἐστιν"* Zellio minutius videatur,[4]) unde Ciceronem in disputatione sua Aristotelem secutum esse possimus concludere, tamen, quod iam antea illum multis aliis iisque gravioribus in locis cum Aristotele consentire demonstravimus, hunc locum quoque ad confirmandam sententiam huic disputationi propositam licet paullulum valere putamus.

Neque minus et in hac quaestione, quinam amici sint deligendi quantusque eorum numerus esse debeat nonnulli in Ciceroniana disputatione reperiri possunt loci, qui aliis, ex Ethicon Nicomacheorum libris petitis, permultum respondent iisque simillimi sunt. „Sunt *firmi, stabiles, constantes* (amici) deligendi" praescribit Cicero,[5]) addens *„cuius generis est magna penuria.* Qui locus simillimus est illi, qui apud Aristotelem legitur:[6]) „talis amicitia" (bonorum amicitia) „merito firma ac stabilis est . . . . . probabile autem est, tales amicitias esse raras: magna est enim *talium virorum paucitas.*" Deligendi itaque sunt tantum boni viri, nam nisi in his haec vir-

1) Lael., cap. 10. §. 33. — Vgl. Eth. Nic. lib. VIII. cap. 3. 1156.36—38.
2) Lael. cap. 18. §. 65.
3) Eth. Nicom. lib. VIII., cap. 5. 1157. a. 20.
4) Zell, ad Eth. Nic. lib. VIII., cap. 4. nota 3.
5) Lael. cap. 17, §. 62.
6) Ethic. Nicom. l. VIII, cap. 4. 1156, b. 10—20.

tutes non reperiuntur.[1]) Quos autem nobis amicos adsciscere non prius possumus, quam ipsi sumus boni, vel, ut praeclare hoc explicat Cicero: „par est, primum ipsum esse bonum, tum alterum similem sui quaerere.“[2]) Nonne hic locus Ciceronianus est simillimus huic Aristotelis:[3]) „opera cuique danda, ut *sit bonus; sic enim* et amico in se ipsum erit animo et *aliis poterit amicus esse?* Boni itaque inter se omnes sunt amici, at quia boni, id est *perfecte* boni, raro tantum reperiuntur, eorum amicitia quoque rara est.

Recte hac de causa dicit Aristoteles: „virtutis nomine ut quis multos amet et propter ipsos non potest: praeclare enim nobiscum agatur, si vel paucos tales reperire possimus[4]) et ad confirmandam hanc sententiam affert: „ne natura quidem pati posse videtur, ut quis multis valde sit amicus; amor enim quoddam amicitiae nimium videtur esse, hoc autem cum uno locum duntaxat habere potest.“[5]) Certe hunc Aristoteleum locum in disputatione sua promit Cicero, qui „ex infinita societate generis humani . . . . . ita contractam rem ut in angustum adductam“ dicit, ut *omnis caritas* aut *inter duos* aut *inter paucos* iungatur.“[6]) Nam verbis *„omnis caritas“* significare vult summam caritatis vim iisdemque respondent verba „benevolentiae caritas,“[7]) quae Gernhardius[8]) praeclare „Zärtlichkeit des Wohlwollens“ interpretatur. Significant igitur haec

1) Cf. Lael. c. 18, §. 65. -- vgl. Eth. Nicom. l. VIII. c. 4, 20–30.
2) Lael., cap. 22, §. 82.
3) Eth. Nic. lib. IX, cap. 4. fin.
4) ibid. lib. IX, cap. 10, 1171. 20.
5) Eth. Nic. l. IX, cap. 10, 1171. 10.
6) Laelius, c. 5, §. 20.
7) idid. c. 9, §. 32.
8) Gernhard, ad hunc locum. (c. 9, §. 32.

verba nihil aliud atque illum in Aristotelis libris amorem, „nimium quoddam amicitiae, quod cum uno tantum“ — id est Ciceronis „inter duos“ locum habere potest. In sodalium autem amicitias, quos se vehementer amare constat, ut Aristoteles loco, quem modo laudavimus, dicit „non recipiuntur multi,“ id est „pauci.“

Qua de causa omnis caritas inter paucos tantum iungitur. Consensionum horum Ciceronis Aristotelisque locorum quis est, qui neget? Praeterea Ciceronem praecipere legimus,[1]) ut in amicitiis comparandis eam diligentiam adhibeamus, „ut ne quando amare incipiamus eum, quem aliquando odisse possimus.“ Haec quoque sententia, si omnem rem spectas, simillima est huic, quae apud Aristotelem legitur: „neque quemquam in amicitiam recipere probareque oportet, neque ullos inter se amicos esse, priusquam alter alteri dignus qui ametur . . . . . visus fuerit.“[2]) Utraque enim sententia continetur in illo antiquo, quod Soloni tribuitur praecepto: *„φίλους μὴ ταχὺ κτῶ.“*[3])

Electis autem amicis, qui ad amicitiam coniungendam aptissimi videntur, ii, qui inter se iuncti sunt, sciant necesse est, quomodo se erga amicos habeant, ut amicitia quam longissime et usque ad extremos vitae dies uti possint. Qua de causa Cicero „quosdam in amicitia fines“ et „quasi terminos diligendi“ sibi constituendos putavit.[4]) At quum de eadem

1) Lael. cap. 16, §. 60.
2) Eth. Nic. l. VIII, cap. 4, b, 20 fin.
3) Ueberweg, Geschichte der Philosophie. Bd. I, p. 29.
4) Lael, cap. 16, init.

re iam alios tractasse non nesciret, horum quoque sententias attulit seque nullam probare nullique prorsus assentire pronuntiat.

Quarum sententiarum eam, quam Cicero alteram appellat, Aristotelis esse ne Zellius quidem negat, nam ad locum „τοὺς ἴσους μὲν κατ' ἰσότητα“ [1]) annotat: „nescio, an hanc Aristotelis sententiam Cicero significare velit in Laelio, cap. XVI. Promit eandem certe quidem, etsi auctoris nomen non afferens atque refutat.“

Cicero enim hoc loco [2]) sententiam commemorat „quae definit amicitiam paribus officiis ac voluntatibus“ vel, ut paullo aliis verbis hoc explicetur, ut, qui amici sunt pares esse debeant in officiis et voluntatibus. Sane haec sententia est Aristotelis, qui in lib. VIII. cap. 13. [3]) fratres et sodales pares inter se et aequales aetate dicit, pergens, „qui autem sint tales, eos plurimum iisdem studiis ac disciplinis deditos, consimilibusque moribus praeditos esse.“ Qui ut pares in officiis sint et voluptatibus, necesse est. Refutat autem Cicero eodem loco hanc sententiam dicens: „hoc quidem est nimis exigue et exaliter ad calculos vocare amicitiam, ut par sit ratio acceptorum et datorum! Cuius refutationis causam in eo cernere putamus, ut Cicero hunc Aristoteleum locum in aliam partem acceperit ac sit dictus atque hac in re assentimus Stahrio, sagaciter docenti: [4]) „Wir glauben sogar eine versteckte Polemik gegen Aristotelische Sätze im Laelius zu bemerken, welche

1) Zell. ad Arist. Eth. Nicom. lib. VIII. cap. 13. p. 370.
2) Lael. cap. 16. §. 58.
3) lib. VIII. cap. 13. 1161. 20.
4) Stahr. Aristotelia II. pag. 156.

freilich durchgängig aus schiefer Auffassnng derselben entsprang;“ (ibique Stahrius affert hunc, quem supra commemoravimus Zellii locum.) Nam huic Aristotelis sententiae non is inest sensus, qui ei a Cicerone supponitur. Legimus quidem, Aristotelem contendisse, pares esse debere amicos studiis, moribus, disciplinis, sed his verbis non praescribitur, ut amici restricte observent, ut eorum erga se benevolentia „pariter et aequaliter“ respondeat, neve alter alterum antecellat benevolentia. Nam haec iam verba Aristotelis, quae lib. IX. cap. 9. [1]) leguntur: „amici est, *bene mereri de altero potius, quam beneficium accipere*. vel „viri boni et virtutis proprium est, beneficium conferre in alterum“ perspicue indicant, Aristotelem non, ut coarguit Cicero „exiliter ad calculos vocasse amicitiam.“ Inest itaque illis Aristotelis quae Cicero promit verbis nullus alius sensus, quam quem Cicero paene iisdem ut Aristoteles verbis significavit, [2]) dicens, amicos esse debere *„pares et aequales propensioresque ad bene merendum quam ad reposcendum.“* Quod autem Zellius eodem loco [3]) annotat, „etiam in hac quaestione, quomodo amici superiores ingenio, virtute, fortuna se erga inferiores gerere debeant, Ciceronis sententiam ab Aristotelea recedere,“ omnino probare non possumus. Cicero enim postulat, [4]) maximum in amicitia parem esse debere inferiori. Quod autem aliter fieri non potest, quam ut is, „qui aliquam praestantiam virtutis, ingenii, fortunae consecutus sit, ea suis impertiat communicetque cum proximis.“ Quomodo autem hoc fiat explicat §. 73., „ut tantum cuique

1) Lib. IX., cap. 9. b. 10.
2) Lael. cap. 9. §. 33.
3) ed Eth. Nic. lib. VIII. cap. 13.
4) Lael., cap. 19. §. 60.

sit tribuendum, quantum ipse (qui diligit) efficere possit, deinde quantum ille, quem diligat et adiuvet, sustinere.“ Respicit igitur Cicero his verbis tantum id, quod superiori sit faciendum, inferiorem tantum quodam modo se extollere debere dicit,[1]) quanam ratione autem se extollat, non docet. Quod respiciens Aristoteles praescribit, quomodo inferior superiori pro beneficiis in se collatis gratiam referat, recordatus, in mutua benevolentia positam esse amicitiam, ut inferior „alterum honore remuneretur, id saltem referens, cuius facultatem habet.“ Itaque haec Ciceronis Aristotelisque sententiae magis altera alteram complere, quam inter se discrepare videntur.

Mirum autem nobis videtur, quomodo Zellium potuerit effugere, non solum hanc, quam ipse Aristotelis esse contendit sententiam, sed etiam earum, quas Cicero affert sententiarum primam *„ut eodem modo erga amicum* simus affecti, *quo erga nosmet ipsos“* in Aristotelea disputatione reperiri posse. Legimus enim in Ethicon Nicomacheorum libro IX.[2]) „virum bonum *in amicum sic esse animatum, ut in se ipsum,“* quae verba quantopere cum iilis Ciceronis plane consentiant in aperto est. Huic autem sententiae occurrit Cicero dicens, eam non esse veram, quum multa, quae nostri causa nunquam faceremus, amicorum causa facimus.[3]) Certe quidem hac in re recte iudicat Cicero, sed haec Aristotelis sententia, quam promit non videtur discrepare cum hac, quam modo attulimus Ciceronis refutatione. Vult enim vir bonus, ut explicat Aristoteles, „ea sibi bona evenire, quae et vera bona sint et talia

1) Lael. cap. 20. §. .
2) lib. IX. cap. 4. 1166. 30.
3) Lael. cap. 16. §. 57.

esse videantur . . . . .[1]) quoniam autem haec insunt in viro bono erga se ipsum, sic animatus in amicum quoque esse debet, *nam amicus est alter ipse.“*[2]) Hic autem erga amicum quam erga se ipsum affectus non prohibet, ut videtur, quominus in amicum plurima referamus beneficia, quam ille nobis remetiri possit neque Aristoteles, si hoc putaret, dicere potuisset, (quod iam antea commemoravimus) „amici esse bene mereri de altero potius, quam beneficium accipere.“ Sed eodem sensu, quo Aristotelis his verbis usus est, Cicero iis utitur pronuntians:[3]) „ipse enim se quisque diligit . . . . . quod per se sibi quisque carus est. Quod nisi *idem* in amicitiam transferetur, verus amicus nunquam reperietur, qui est *tanquam alter idem.“* Elucet itaque ex hac quam fecimus comparatione locorum Aristotelis Ciceronisque, hunc in quaestione, quomodo amici se diligere debeant, plane cum illo consentire refutationemque Aristoteleae sententiae non nisi falsa interpretatione accidisse.

Ut iam — quod ex omnibus, quae attulimus elucet, — Ciceronem vidimus Stoicorum quae ad mores pertinebat disciplinam deserentem, quod sibi superbior atque modum humanae naturae transgrediens[4]) visa esset et ex hac re quum Peripateticorum tum praecipue Aristotelis vim cognoscere putavimus, sic enim in Laelio horum doctrinam mitiorem et ad communem vitae rationem longe aptiorem non solum sequi, sed etiam transgredi fines praeceptorum ab iis datorum referre possumus.

1) Eth. Nic. lib. IX. cap. 4. 1166. 10.
2) Eth. Nic. lib. IX. cap. 4. 1166. 30.
3) Lael. cap. 21. §. 80.
4) Cfr. Tennemann, Geschichte der Philos. Th. IV, p. 13 seq. — 5 Lipsius manud. ad Stoicorum philos. III., diss. 11.

Ciceronem, quum non solum sapientes sed etiam eos, qui ab omnibus boni habeantur, ad amicitiam coniungendam aptissimos dixerit, Stoicorum de amicitia „invidiosam et obscuram" sententiam deseruisse iam demonstravimus.

Ibi enim consentiens cum Aristotele condenterat, inter bonos tantum veram et perfectam esse amicitiam. Tamen Ciceroni perspicuum erat, accidere posse, quum perfecte boni raro, ne dicamus nunquam possent inveniri, ut tamen in bonos irrumperent peccata, itaque ei quaerendum erat, quomodo inter se haberent amici, quorum alter peccatum in se admisisset; utrum amicitia, qua iuncti essent, esset solvenda, necne. At hoc quum Ciceroni tum Aristoteli in disputatione sua erat quaestioni. Itaque ad hunc se applicans, qui in libro IX. Ethicon Nicomacheorum [1]) „eum nihil absurdi facere videri" pronuntiat, qui se a tali (peccanti vel malo) seiungat, Cicero quoque praescribit bonis, „ne existiment ita se aligatos, ut ab amicis peccantibus non discedant.[2]) Sed addit Cicero „in magna aliqua re peccantibus" atque his verbis concedit, non necesse esse, ut amici seiungantur ac discedant, si alter in parva quadem re peccaverit. Neque Aristoteles praeceptum a se datum diligentius vult observari atque hac de causa iis malis vel peccantibus, qui corrigi possunt, auxilium ferendum esse dicit[3]) Quod mollius Aristotelis praeceptum Ciceronem quoque in disputatione sua dedisse docet locus, quem iam ad demonstrandum aliam rem commemoravimus „ut, cum emendati mores amicorum, sint" [4]) . . . etc. . . . Nam his in verbis la-

1) lib. IX, cap. 3, 1165, b. 20.
2) Lael., cap. 12, §. 42.
3) Eth. Nic. l. IX, c. 3, 1156, b. 20.
4) Lael. cap. 17, §. 61.

tet illa Aristoteleae congruens sententia, emendandos esse mores amicorum, si quando peccaverint. Ad id quidem loci cum Aristotele consentire videmus Ciceronem, hinc autem suo proprio utitur iudicio, in quaestione, num adiuvandi sint amici peccantes ratus „declinandum esse de via, si qua fortuna acciderit, ut minus iustae amicorum voluntates adiuvandae sint, in quibus earum caput agatur, aut fama, modo ne summa turpitudo sequatur.[1]) Quibus itaque verbis quasi patrocinari videtur peccato, quod amici causa admittitur et certe mirari posses, quod Cicero, quem in eodem ipso Laelio pronuntiare inveneris „nullam esse excusationem peccati, si amici causa peccaveris,"[2]) hanc plane contrariam defenderet sententiam, nisi huic, quem modo attulimus loco addidisset: „perfecta quidem sapientia si essemus, nihil haberet res vitii." Nam his in verbis iam significatum esse videtur, nos hanc virtutis normam semper sequi non posse. Omne autem cautionis genus adhibet Cicero in defendenda hac sua sententia, ut praeclare annotat Lahmeyerus:[3]) „Cicero lässt diese mit der Rechtfertigung von sogenannten Nothsünden verwandte Partie, da er merkt, dass er auf schlüpfrigen Boden steht, absichtlich ganz allgemein und unbestimmt und schliesst nur das Extrem des „declinare de via, die summa turpitudo entschieden aus." Ciceronem hac de causa iam a Gellio[4]) esse vituperatum, qui eius verba cum praeceptis Theophrasti comparat, notum est. Hoc suum praeceptum non vult observari Cicero, si quid amicus, quod contra rem publicam sit, susceperit atque in huius-

1) Lael. cap. 17, §. 61.
2) ibid. cap. 11, §. 37.
3) Cicero's Laelius v. Lahmeyer, Leipzig 1862, p. 36., not. zu §. 61.
4) Gellius noct. Attic. I., 3, 14.

modi causis amicum omnino non esse adiuvandum putans,[1]) in hac quoque subdifficili quaestione, in qua tam proclive est decorum cum iusto in amicitia confundere, ut iam saepius in Laelio se patriae praebet amantissimum.[2])

Restat, ut locum commemoramus, ubi Cicero de dissolutis propter erumpentia vitia amicitiis disserens „ex quibus iurgia, maledicta, contumelia orta sunt" tamen haec, si tolerabilia sint ferenda esse dicit et „hunc *honorem veteri amicitiae esse tribuendum*, ut is in culpa sit, qui faciat, non is, qui patiatur iniuriam." Quod mite praesciptum iam in Aristotelis Ethicon Nicamachorum libro IX.[3]) datum invenimus idque a Cicerone inde esse expetitum putamus. Aristoteles enim hoc loco praescribit: „praeteritae consuetudinis memoria servanda est ..... et *aliquid concedendum propter amicitiam pristinam*." Certe notanda est haec Ciceronis cum Aristotelis verbis consensio, praecipue quod ex rerum natura non sequitur aliique philosophi et in iis Stoici sane austeriora dederint praecepta, Zellumque difficilius iudicare putamus, qui hanc locorum similitudinem „neutiquam sibi videri dicit,[4]) unde concludere possimus, Ciceronem Aristotelis vestigia esse secutum." Qua in re Zellius Gyphanio quoque occurrit, cui, ut ipse affert, Cicero hunc locum, quem attulimus ex Aristetelis libro IX. descripsisse videtur.

Addendum ad haec denique est, in eo quoque inter se similes esse Ciceronis Aristotelisque de amicitia libros, quod uterque auctor in componenda sua disputatione non neglexerit

1) Lael., cap. 11, §. 36.
2) cfr. v. Gagern, a. a. O. p. 26.
3) lib. IX. cap. 3.
4) Zell. ad Arist. Eth. Nicom. lib. IX, cap. 3, §. 5. pag. 391.

antiquorum philosophorum sententias, partim consentientes, partim contrarias afferre atque his affirmandis vel refutandis suo sermoni aliquid vigoris tribuere. Neque minus uterque commemorat eadem de causa poëtarum dicta, proverbii loco celebrata. Ut Ciceronem in Laelio commemorare invenimus Empedoclis,[1]) Biantis,[2]) Archytae Tarentini,[3]) sententias, fabulam Pacuvii, quae Orestes erat inscripta,[4]) versus Ennii,[5]) Terentii,[6]) Caecilii Statii,[7]) nonnullisque locis proverbia,[8]) sic Aristoteles, in libris suis de amicitia tractantibus affert sententias Heracliti,[9]) Theognidis,[10]) Empedoclis eandem, quam Cicero attulit sententiam[11]) neque minus significat versus Homeri,[12]) Euripidisque[13] permultisque locis[14]) dicta affert proverbiorum locum obtinentia.

His omnibus autem, quae contulimus satis demonstrasse nos putamus, Ciceronem in Laelio suo permultas explicuisse sententias, quae iam in Aristotelis Ethicon Nicomacheorum libris inveniri possunt. Demonstravimus, Ciceronem, ut, in

1) Lael. cap. 7. §. 24.
2) ibid. cap. 16. §. 59.
3) ibid. cap. 23., 88.
4) ibid. cap. 7. §. 24; de finibus V. 22. 63.
5) ibid. cap. 17. §. 64.
6) ibid. cap. 24. §. 89; vgl. Ter. Andr., I. 1. 41.
Leal., cap. 25. §. 93. vgl. Ter. Eun. II. 2. 21.
Fael. cap. 26. §. 98. vgl. Ter. Eun. III. 1. 1.
7) Lcel. cap. 26. §. 99.
8) e. g. ibid. cap. 6. 22.
9) Eth. Nic. VIII., cap. 2. 1155 b.
10) ibid. lib. IX. cap. 9. 1170. 10.
11) ibid. lib. VIII. cap. 2. 1155. b.
12) ibid. lib. VIII. cap. 1. 1155. 10. Vgl. Odyssea XII. 218.
13) ibid. lib. VIII. cap. 2. 1155. b. Vgl. Athenaeus XII. pag. 599.
14) e. g. lic. VIII. c. 6., l. VIII. c. 11., lib. IX. c. 8., lib. IX. c.11. etc.

allis, quae ad morum disciplinam pertinent libris, sic in disputatione de amicitia valde abhorrere a rigore Stoicorum, quorum philosophia eum fuisse imbutum constat et ad Peripateticorum et in iis praecipue ad Aristotelis molliora praecepta se applicavisse. Neque minus planum nos fecisse credimus, complures sententias Ciceronianas Aristoteleis esse simillimas, nonnullas autem non solum in re ipsa sed in dicendi quoque modo paene omnino congruere. Itaque iis assentimus, qui Ciceronem ipsius Aristotelis libros perlegisse sententiasque nonnullas ex illis expetiisse putant. Quum autem viri docti, quos supra commemoravi, Gernhardius, Baumhauerius, Stahrius, Jentschius in scriptis suis perpaucos tantum Aristoteleos locos cum Ciceronianis comparandos commemoraverint, nemo autem adhuc omnes locos, qui in Laelio ex Aristotelis libris expetiti sint vel in iis positi esse videantur composuerit, hoc exquirere in hoc libellulo suscepimus atque probasse putamus, multum in conscribendo Laelio valuisse Aristotelis de amicitia libros. Sed tantum abest, ut audeamus contendere, Ciceronem in Laelio suo nihil novi de amicitia pronuntiasse, ut concedamus illum in hoc ipso Laelio multas quoque proprias sententias easque praeclarissimas magna cum ingenii elegantia disertissime explicavisse. Itaque ex hoc quoque Ciceronis libro cerni potest, iure quodam illum de se ipso dixisse: (de fin. I. 2. 4.) „non interpretum fungimur munere, sed tuemur ea, quae dicta sunt ab iis, quos probamus eisque nostrum judicium et nostri scribendi ordinem adiungimus."

VITA.

Natus sum, Rudolphus Braxator d. VII. m. Martii a. MDCCCXLV, Bythoniae, in oppidulo Silesiae superioris, patre Rudolpho, matre Natalia e gente Vogt, quos adhuc supertites deus optimus mihi servavit. Eidei addictus sum catholicae. Primis litterarum elementis imbutus Vratislaviam missus sum ibique per novem annos gymnasium regium ad St. Matthiam frequentavi. Maturitatis testimonio instructus d. XXIII. mens. Octob. a. MDCCCLXV ab Ill. V. Huberto Reinkens, Universitatis Litterarum Vratislaviensis eo tempore rectore, inter cives academicos receptus sum, studiis primum theologicis tum philosophicis operam daturus. In hac alma matre interfui praelectionibus Ill. V. Reinkens, Friedlieb, Probst, Hertz, Junkmann, Neumann, Reifferscheidt aliis. Absoluto triennio academico educator me contuli in Silesiam superiorem, unde mens. Mai. anni MDCCCLXX Halas migravi, ubi in Universitate Litteraria scholis interfui Ill. V. Erdmann, Dümmler, Keil, Haym. Omnibus his viris, optime de me meritis gratum animum semper habebo.

THESES.

I.

Quae Kantius de natura moribusque gentium disserit (Anthropolog. p. 239. 55.) per partes tantum sunt probanda.

II.

Ad coniungendas amicitias viri aptiores quam feminae.

III.

In describenda morte Laocoontis Petronius Vergilii versus (Aeneid. lib. VII. 199 — 224) imitatus est.

IV.

Recte Copernicus: „neque enim necesse est, hypotheses esse veras, immo ne verisimiles quidem, sed sufficit hoc unum, si calculum observationibus congruentem exhibeant.“

135